



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

Subsequitur sub hoc, eodemque numero huius Res. 89. eadem quæstio,
videlicet. An Iudex proferens sententiam sanguinis, & eius ministri iustitiæ
in ea cooperantes, si mors ex aliquo casu postea ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

gularē, etiam nulla sententia sanguinis pronunciata fuerit, quamvis tunc ab Episcopo dispensari possit, citatque vetustissimum interpretem Canonum Hugonem, relatum, & probatum hac in parte à Speculatore. *tit. de dispensat. §. iuxta*, affert præterea Maiol. *Summa Confessor. q. 23. de homicidio hoc est, tit. 1. lib. 2.* Idem quoque tenuit Plovi. *tr. de irregular. 7. regula*, & Alphonsi. Alvarez. *in suo Thesaur. cap. 38. 7. regula.* Verum hæc opinio mihi non placet, cum sit contra communem Canonistarum & Theologorum, quos plena manu adducit, & sequitur Ioan. Bapt. Ciarlinius *Controvers. forens. tom. 2. cap. 203. num. 17.* ubi me etiam citato, concludit, asserentes irregularitatem non contrahi ex homicidio, siue voluntario, siue licito, siue iustitia mediante facto, nisi verè sequatur eff. &us, quia ad incurrendam irregularitatem non sufficit intentio occidendi, vel mutilandi, vel attentatum, sed requiritur actualis occisio, vel mutilatio hominis, stante quod irregularitas imposita est homicidio voluntario, non attentato. Et hanc sententiam novissimè probat Gibalinus de *irregular. quest. 3. confessor. 7. num. 4.* & ante dixerat Ioan. Præpositus *in 3. part. quest. 5. de irregular. dub. 13. num. 98.* Ioan. Soria *in Epilog. summ. part. 2. tr. 1. sect. 2. disp. 7. §. circa defectum lenitatis.* Vnde si aliquis reus duceretur ad patibulum, & esset extractus à manibus satellitum, & sic mortem evaderet, iudex non esset adhuc irregularis; imò si neque à carnifice suspensus fuisset, & casu laqueus rumperetur, si propter hoc gratiam à Principe reciperet, iudex absque dispensatione posset Ordinibus initiari. Non est igitur audiendus Pyrrhus *ubi supra*, & à fortiori Maiolus contra quem nominatim insurgit Layman *lib. 3. tr. 3. cap. 7. num. 1.* Gibalinus *ubi supra.* Vide etiam Chartarium *decis. criminal. 30. num. 34.* & Sperellum *tom. 1. decis. 77. num. 11. seqq.*

Sup. hoc supra Ref. 81. & in alio §. eius not.

Sup. his infr. in tr. 10. in Ref. 79. §. 2. ante n. ediu. à vers. Probat minor. & legq.

Sup. his sup. magis late in Ref. 87.

Sup. hoc te. ste sup. in Ref. 85.

2. Notandum est hic obiter, quod Clericus habens jurisdictionem temporalem, non fit irregularis ex eo quod constituat Iudicem pro causis, seu criminibus capitalibus, siue in genere pro omnibus, siue in particulari pro aliquo, adhuc in individuo, quamvis sequatur mors, ut constat ex dicto cap. 3. & idem est, & multò verius de Principe laico: quia Clerici quoad hoc non sunt magis exempti quam laici. Nec sunt irregulares Ecclesiastici, qui aliquem degradatum, aut hæreseos condemnatum, tradunt brachio sæcula, ut deducitur *ex cap. Novimus, 27. de verb. signific. ac proinde eorum Officiales multò minus sunt irregulares, quia multò minus cooperantur, quam ipsi iudices tradentes. Vide Præpositum ubi supra, & alios communiter.*

3. Nota etiam, quod non solus accusator, sed probabiliter etiam advocatus & testis non sunt irregulares si in causa sanguinis protestationem præmittant, quia in his eadem est ratio: nam cui conceditur aliquid, censetur etiam concedi illa, quæ ad id sunt necessaria, ne concessio sit inutilis: at privilegium concessum accusatori in aliquibus casibus sine metu irregularitatis præcedente protestatione inutile videretur, si testis non posset absque irregularitate cum protestatione testari. Et idem est de avvocato: nam præ timore tantæ pœnæ retraheretur à testando; sicque nihil probare posset, nec obtinere. Et probabile etiam esse puto, nec fieri testem irregularem, quando vel iure naturæ, vel iusto iudicis præcepto, vel gravi metu coactus obligatur ad fatendum testimonium in causa sanguinis, præmittendo protestationem: tunc enim non videtur voluntarie ad mortem concurrere. Ita Cornejo *disputat. 11. dub. 1. quest. 7.* Et pro probabilitate harum opinionum plures alibi adduxi, quibus nunc addo Caspensem *in curs. Theol. tom. 2. tr. 25. disp. 5. sect. 13. num. 88. cum seqq.* & Lessium *in 3. part.*

D. Thom. c. 2. de irregular. dub. 5. num. 15. ubi sic ait: Probabile est ab irregularitate testem excusari in eo casu, in quo tenetur in conscientia testari, præsertim si protestationem adiungat, quamvis hæc etiam non videatur esse necessaria. Ita ille, cui adde Escobar *in Theol. moral. tr. 4. exam. 6. c. 3. §. 5. n. 238.* ubi admittit hoc etiam in avvocato.

4. Sed, quis potest dispensare contra præsentem irregularitatem contractam ex defectu lenitatis? Caspensis *ubi supra. n. 4.* ait, Prælatos regulares posse dispensare in irregularitate contracta ex defectu lenitatis circa suos subditos, quia habent privilegium dispensandi in omnibus irregularitatibus, excepta bigamia, & homicidio voluntario. Certius est eandem facultatem habere Commissarium Cruciatæ, quia in ejus commissione dicitur, & super quacunque alia irregularitate, quæ non procedat ex homicidio voluntario. Ita Caspensis. Sed quid dicendum de Episcopis? Lessius *loco cit. dub. 6. n. 21.* sic asserit. Respondeo Episcopum non videri hic posse dispensare, ut plerique Doctores affirmant. Ratio est, quia ante Concil. Tridentinum non poterat; & per Concilium non est ei facta potestas, nisi in irregularitate orta ex delicto occulto: hæc autem ex delicto non oritur.

5. Nota tamen, non esse improbabile, Episcopum posse in hac dispensare, ut docet Covar. *in su. Ratiō est, quia istud homicidium æquiparatur homicidio casuali in jure (scilicet, quod casu factum est) in quo potest Episcopus dispensare. Vnde per quandam *in iur. colligimus* simili modo posse dispensari in isto. Hæc Lessius. Sed de his alibi à nobis etiam tractatum est.*

SUBSEQUITUR SUB HOC
eodemque numero hujus Ref. 89.
eadem questio, videlicet.

An Iudex proferens sententiam sanguinis, & ejus ministeri iustitia in ea cooperantes, si mors ex aliquo casu postea secuta non fuerit, incidat, hoc non obstat, in irregularitatem?
Et deducitur, quod quando versatur in dubio iuris in quo casu, quid non teneatur se habere pro irregulari.
Ex p. 12. tr. 3. & Misc. Ref. 5.

§. 1. CAsus potest frequenter accidere, & de illo supradicta ego interrogatus fui per litteras ex Gerardo in *lib. 1. mania, ac sententiam affirmativam tenet Philippus Fabrus de censuris in 4. distinct. 25. quest. 1. dub. 1. que cap. num. 212.* ubi sic ait. Dubium occurrit de curialibus, qui in causa Criminali. Nam Suarez distinguit de Curialibus, dicens, quod omnes sunt irregulares, quando in ministerio permanent; Quosdam vero illo dimisso non manere irregulares; scilicet illos quorum causa sententia sanguinis non fuerit deducta ad actum, quod probat *ex cap. 1. distinct. 51. per illa verba*, qui dum parent potestatibus, quæ sunt imperata, fecerint, & cap. 2. eadem distinct. ex Glossa, quæ exponit ista præcepta esse sæva præcepta, & per caput Osius, *distinct. 61.* & supra eadem *disput. sect. 1.* probavit quod iudex per prolationem sententiæ sanguinis non fit irregularis, nisi sequatur effectus ex Navarro *num. 211.* Sylvest. *homicidio 3. numer. 3.* & aliis adductis ab eis. Atque idem dicit de Advocato in causa sanguinis; si enim sequatur causa sanguinis aut remanere irregularem siue patrocinetur contra Reum, siue pro reo, adhibitis quibuscumque limitationibus, sin minus dimisso officio nequam.

2. Ego autem puto omnes Curiales, & Advocatos

caros etiam defendentes Reos injuste accusatos, & omnes exercentes actum fori criminalis, siue sequatur effectus mortis, vel mutilationis, siue non, esse irregulares. Et ratio est quia isti alia ratione sunt irregulares ab illa, quæ est propter homicidium. Nam jura faciunt specialiter inhabiles ad ordines hujusmodi curiales; Neque faciunt hanc exceptionem siue sequatur effectus mortis, vel mutilationis, siue non; Ideo est alia species irregularitatis ab illa, quæ incurritur propter homicidium voluntarium. Illam enim certum est neminem incurere propter homicidium mentale tantum, sed requiri effectum externum, & de hoc loquuntur Navarrus, Sylvester, & alii locis supra citatis. Hæc sententia mihi videtur explicitè haberi in capit. sententiam, ne Clerici, vel Monachi, quod habet sic. [Sententiam sanguinis, nullus Clericus dicit, aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur interfuit, si quis autem hujusmodi occasione statuti Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis aliquod præsumpserit inferre dispensationem per censuram Ecclesiasticam compellatur. Nec quisquam Clericus litteras dicit, aut scribat pro vindicta sanguinis destinanda. Vnde in Curia Principum, hæc sollicitudo non Clericis, sed Laicis committitur. Nullus quoque Clericus raptatus, vel Ballestarius, aut hujusmodi viris sanguinum præponatur; nec ullam chirurgiæ artem Subdiaconus, Diaconus, vel Sacerdos exerceat, quæ adusionem, vel incisionem ducit.] Glossa tamen in eo capite, asserit existentem præsentem his non fieri irregularem, sed tamen debet puniri, quia facit contra præceptum hujus Canonis. Idem elicitur aperte ex capite 1. & 2. distinctione 51. Nam capite primo, enumerans varia personarum genera, quæ in provincia Hispaniæ erant ad Clericatum promoti contra canones, enumerat curiales his verbis, aliquantos ex curialibus, qui dum parent potestates, quæ sibi sunt imperata fecerunt, ecce non limitat ad eos, qui in causa sanguinis actu sequuntur tantum hanc poenam incurrerunt, sed universaliter ad eos, qui in curiis præceptis Principum paruerunt. Et licet in cap. 2. Glossa ad illud verbum, si quis, fidelis administraverit, exponat in favis actibus: non ob id sequitur, quod actus sævi sint solum exequutio mutilationis, vel mortis. Nam etiam scriptio processus in causa sanguinis, examinatio testis, licet Reus non convineatur, nec sequatur mors, vel mutilatio, procul dubio, est actus sævus & contrarius lenitati perfectæ hominis. Nec habetur arctatio illa ullibi, quod actus sævi sint tantum mutilatio, & mors cap. 1. eandem distinctionem, enumerantur milites inter eos, qui erant inhabiles ad clericatum, quia exercuerunt necessario actus sævos. Inquit enim: Aliquantos ex militia, qui cum potestatibus obdierunt sæva necessario præcepta sunt executi. Constat autem, quod milites alios actus sævos, & crudeles præter mutilationem, & mortem in bello exercent. Glossa autem exposuit actus sævos ad significandum, quod administrans curialibus in actibus familiaribus domus, vel aliis non pertinentibus ad curiam criminales non subsunt huic poenæ; caput autem illud, Osius, oppositum non probat, ut est videre in Glossa. Et hæc omnia docet Fabrus ubi supra. Nota etiam hanc sententiam docere ex Neotericis, Pyrrhum Cotradum in Praxi dispensationum Apostolicarum, lib. 5. cap. 2. num. 3. ubi ita asserit: Infinitas dispensationes, & rehabilitationes desuper in Romana curia peti, etiam pro illis qui aliquo quovis modo se præmissis ingesserunt, licet postmodum mors

secuta non fuerit, neque sanguinis effusio, quis nihilominus remanent irregulares; cum per ipsos non est, & erit quo minus omnem operam præstiterint, ut mors, aut sanguinis effusio sequeretur, ut ait Mandos. in praxi artic. ait. absol. & rehabilit. vssic. an autem advocatus, dicens ibi, quod propter præmissa, scilicet, quod non fuerit mors, aut effusio sanguinis sequuta, poterit Ordinarius dispensare; quod tamen satis deviat à praxi ejusdem Curia; cum ex consuetudine pro hujusmodi dispensatione recurratur ad Summum Pontificem. Ita Pyrrhus, & ante illum Majolus de irregularitat. libro 2. capite 2. & Divus Antoninus parte 3. ext. 28. capite 2. Alphonsus Alvarez Plou. Speculator, & alii, quos citat Gibalinus ubi supra.

3. Sed ego negativæ sententiæ adhareo, & puto in tali casu iudicem, & alios Ministros irregularitatem non incurrisse, si sententia non fuerit exequuta ex aliquo accidenti; & hanc esse communem opinionem Canonistarum testatur Ioannes Vvigers in tertia parte Divi Thomæ quest. 22. de irregularitate dub. 3. numero 6. & idem sentiunt fere omnes Theologi, unde præter Suarez supra à Fabio adductum, & immerito repulsum, tenent Layman, Filiucius, Emanuel Sà, Sylvester, Sorus, Bonacina, Mollesius quos citant, & sequuntur duo docti recentiores Episcopus Sperellus tom. 1. decision. 77. numero 11. 12. & 13. & Ioannes Baptista Ciarlinus controvers. forens. tom. 2. capite 203. numero 17. quibus ego addo Petrum à Sancto Ioseph in Summula, parte 2. Opuscul. 3. capite 6. artic. 2. Blondum de censur. disputat. 8. artic. 6. Machadam tom. 1. libro 1. part. 3. tractat. 18. document. 2. numero 2. Busembaum in Medulla Theolog. moral. libro 7. capite 5. dubio 5. Bordonum in Theolog. moral. libro 7. question. 18. numero 83. & 84. Challaing de Sacramentis disputatione 18. dub. 10. numero 91. & 92. Ludovicum Abellis in Medulla Theologica, tom. 2. parte 2. capite 6. sectione 2. §. 1. Carolum Malletum in auro Theologie moralis, tom. 1. Mallectione 23. Bractea 25. Doctissimum & Amicissimum Escobar in Theologia moralis parva tractat. 8. exam. 6. capite 3. §. 5. numero 31. & 33. Hurtadum disputatione 2. de irregularitate difficult. 1. numero 38. Caspensem in curs. Theologia, tom. 2. tractat. 25. disputat. 5. sect. 13. numero 85. Lessium in 3. part. Divi Thomæ, capite 2. de irregul. dub. 5. numero 15. & Ioannem Præpositum in tertia parte Divi Thomæ cap. 5. de irregularitat. dub. 13. numero 98. Mercerum de Sacramentis in tertia parte Divi Thomæ, question. 2. dub. 8. Tannerum tom. 4. disputatione 6. questione 10. dub. 11. num. 206. Bassetum verb. Irregularitas V. numero 3. Turrianum de cens. libro 9. disput. 9. dub. 10. Vvigers ubi supra, & Megala in 3. parte, lib. 7. cap. 1. quest. 1. num. 35.

4. Sed audiamus aliquorum Doctorum verba, Magister Cornejo in 3. part. Divi Thomæ, tom. 2. tract. 5. de irregul. disput. 1. dub. 1. sic ait. [Infero sequentes irregulares. Primo, Iudex, qui iussu profert sententiam mortis, vel mutilationis, & idem est de Assessore, & de eo, qui post laram sententiam suadet Iudici, ne concedat appellationem; cum omnes isti sint in suo genere causa propinqua homicidii: requiritur tamen, quod talis sententiæ exequatur, quia irregularitas hæc non incurritur, nisi morte, aut mutilatione sequuta.] Vilalobos in summa tom. 1. tract. 21. diff. 52. n. 21. difficult. 52. num. 2. [Que da sentencia en causa de sangre, es irregular, si guindose el efecto, si esta baptizado. Así lo tienen todos, y consta de unos textos, a, y en otros, b, se presupone: dize en la conclusion si guindose el efecto: por que aunque se dà la senten-

cia, & se pronuncie, nō queda irregular, si nō se ex-
cuta como tienen los Doctores, y en especial Syl-
vestro, Navarro, y Suarez la rāzon es por que aun-
que uno mande à un criado suyo, que mate à otro nō
queda irregular si nō se executat, y lo mismo es à
qui: aunque Mayolo tiene lo contrario, sin funda-
mento bastante, ¶ Marcus Sertius de censuris disput. 7.
difficult. 2. quest. 10. num. 3. Iudex ferens sententiam in
causa sanguinis effectu sequuto est irregularis, quia
licet, quis exerceat hoc officium, proferat sententiam,
& promouget illam si effectus mortis, vel mutila-
tionis; quacunque ratione impediatur, ne executio-
ni mandetur, non contrahit Iudex hanc irregulari-
tatem, quia nullo jure lata est talis irregularitas, unde
non satis est exercuisse officium Iudicis, si effectus
non est secutus. Vidisti amice Lector sententiam nos-
tram esse communem inter Theologos, & Cano-
nistas, & hos ultimos videre poteris apud Ciarlinium
loco citato, aduersus quem immeritò bona ejus venia,
& pace nimis audacter insurgit novissimè Pyrrhus
Cordadus in suis additionibus ad lib. 5. cap. 5. num. 57.
fol. 31.

5. Probatur nostra sententia validissimis ratio-
nibus. Primo, quia si per mandatum injustum
non sequuto effectu non incurritur irregularitas,
multo minus per sententiam justam effectu non se-
quuto, quia sicut ille qui mandat injustè non dicitur
verè homicida, ita nec iste qui fert senten-
tiam sanguinis effectu non sequuto. Secundo cer-
tum est, quod in nostro casu non sumus in du-
bio; nam homicidium non est secutum, sed su-
mus tantum in dubio juris, scilicet, per solam pro-
lationem sententiæ, an quis incurrat irregularita-
tem, paucis affirmantibus, & infinitis negantibus.
Sed quando versamur in dubio juris, ut est in ca-
su nostro quis non debet se habere pro irregulari,
ut notat Navarrus capite 27. numero 193. Sayrus de
censuris, lib. 6. capite 2. numero 16. Azor. tomo 1. li-
bro 2. capite 19. quest. 10. & 11. Rebellus 1. part. lib. 1.
quest. 2. sect. 2. Suarez supra section. 5. numero 4. &
18. Avila part. 7. disput. 2. dub. 5. conclus. 5. Reginal-
dus libro 30. num. 3. Valensuel. tomo 4. disputation. 7.
questione 19. punct. 2. Filliucius tractat. 19. capit. 2.
questione 6. Toletus libro 1. capit. 57. Coninch, dispu-
tatione 18. numer. 21. Bonacina de censur. disputat. 7.
quest. 1. punct. 5. numero 2. Layman, lib. 1. tractat. 1.
cap. 5. numer. 39. Villalobos tomo 1. tractat. 1. difficult. 22.
numero 22. Sanchez cum aliis, libro 1. Decalog. capite 10.
numero 42. Probatur primò, ex capite 15
qñi de sententia excommunic. in 6. ubi dicitur, jus
apparens, aut simile non sufficere ad irregularita-
tem inducendam, eo quod non sit expressa in ju-
re. Igitur à fortiori non sufficet, ubi totum jus
est dubium. Probatur secundò, quia textus indu-
centes irregularitatem in dubio commissi homici-
dii, loquuntur palam in dubio facti; nec ullus tex-
tus illam inducit in dubio juris observandam. Nec
est eadem ratio utriusque dubii, nam licet irregula-
ritas procedat ex facto, tanquam ex radice; vel
occasione, per se tamen oritur ex jure decernente
illam, ut ex causa efficiente. Quare si jus est du-
bium, nequit suum effectum producere. Probatur
tertiò, quia lex non obligat ante sufficientem ejus
promulgationem: Ius autem dubium non censetur
sufficienter promulgatum. Probatur tandem si quis
dubitaret de lege naturali, vel positiva, divina, vel
humana, talis lex non obligat; iste casus, non te-
neris tali lege ad talem casum. Etsi dubitas, an
voveris non teneris voto, juramento, vel promissio-
ne, ut ostendimus dub. 11. præcedenti: Ergo neque
si dubius an detur jus imponens irregularitatem, vel

an iste casus contineatur in Canone imponente irre-
gularitatem, debes in aliquo foro censeri irregularis.
Consequentia est bona, quia eadem est ratio. Vito-
bique enim dubitatur de substantia legis, voti, jura-
menti promissionis, vel juris ligantis, ad solam cen-
suram, & ideo hanc sententiam præter Doctores su-
pra citatos, tenent Fagundez in Decalog. tom. 1. lib. 2.
capite 10. numero 10. Castrus Palans tom. 1. tracta-
tu 1. disputatione 3. puncto 6. Bordonus in Summa
libro 7. questione 17. numero 23. Portellus verb. irre-
gularitas, numero 31. Sancius in selectis disputa-
tione 42. numero 14. Filliucius tomo 2. tractatu 21. ca-
pite 4. num. 136. Fragosus de Republic. tomo 1. libro 4.
disputatione 10. numero 212. Escobar in Theol. moral.
tomo 1. libro 2. sect. 2. Prob. 71. num. 248. quibus adde
me citato Franciscum Lugo de principis moralibus,
parte 1. cap. 2. quest. 26. num. 150. & me citato magi-
strum Ildephonsum Dominicanum in suis distis Com-
mentariis ad partem 2. Divi Thomæ, tomo 3. disp. 109.
dist. 12. conclusio 2. num. 1310. & me citato doctis-
simum, & amicissimum Bossium variat. tomo 1. par-
te 2. titulo 1. §. 11. numero 1290. Unde ex superius di-
ctis pater responso ad ea, quæ in contrarium adduxit
Fabrus ut supra.

6. Restat modo, respondere ad dispensationes
adductas à Pyrrho locis citatis; Dico igitur, illas dis-
pensationes emanare à Sacra Pœnitentia, vel Dataria,
quia petuntur ab Oratoribus ad majorem secu-
ritatem, & quietem conscientia, & ad tollendos
scrupulos, & ideo stante opinione Majoli, & alio-
rum asserentium in nostro casu, iudices, & alios Mi-
nistros irregularitatem incurtere, in Pœnitentia,
& Dataria rectè conceduntur tales dispensationes,
sed ex hoc non sequitur, ut vult Pyrrhus, nec rectè
inferri potest, dictas dispensationes esse necessarias;
ita ut contraria opinio non remaneat in suo gradu
majoris, vel minoris probabilitatis, ut in simili casu
docet Magister Serra, Dominicus tomo 1. capite 2.
Divi Thomæ, questione 90. articulo 1. fol. mibi 380.
Magister Bernardus Lothetia Dominicanus in Res-
olutione moral. Belgicus tractatu 21. articulo 2. & ex So-
cietate Iesv Fagundez de Præceptis Ecclesiasticis, tra-
ctatu 2. libro 8. capite 8. num. 138. Gnanadus in parte 2.
controverf. 7. tractatu 3. parte 1. disputatione 15. sectione
secunda, & aliis: & quidem, quis potest credere la-
ciam Pœnitentiam, vel Datariam concedendo ta-
les dispensationes ad petitionem partium velle dam-
nare sententiam contrariam communiter receptam ab
omnibus Canonistis, & Theologis? si Pyrrhus hoc
credit, bona ejus venia, & pace non credam. Dicere
autem cum ipso, quod Iudex in nostro casu, quo ad
se fecit, quod potuit ergo contraxit irregularitatem.
Negò consequentiam, nam alioquin sequeretur, quod
Titius Sclapeto, vel ense percussus vulnerem lethali
Sempronium, si iste postea non moreretur incurreret
irregularitatem, quia ex se fecit quantum potuit, ut
occideret Sempronium, sed hoc dicere est absurdum;
Ergo. Itaque statuenda est regula generalis cum Gi-
balino de irregularitate cap. 4. questione 3. conclus. 7. &
aliis contra Piragianum, & Pyrrhum homicidium si-
ve injustum, sive ex defectu lenitatis non inducere
irregularitatem nisi mors sequuta fuerit, & hæc satis
dicta sunt contra opinionem Pyrrhi, quem tamen
existimo viro benemerentem, & commendatione
dignum, & optarem quod citius ad communem
utilitatem secundum Tomum suæ Praxis in lucem
ederet.

Sup. hoc du-
bio juris sup.
ex Ref. 8 le-
ge doctrinā,
§. ult. ab ejus
lin. 3. & vers.
Igitur quan-
do dubium
est de jure.

RESOL.